Iuski Jacobi: Quaestio de concursu causae primae cum causis secundis ad omnes effectus producendos.

# QVÆSTIO

## DE

## CONCVRSV CAVSÆ

## Primæ cum Causis secundis ad omnes effectus producendos.

*A*

*M. JACOBO SVSKI,*

*publicè ad disputandum in Alma Academia Cracouien: proposita.*

In Lectorio DD. Theologorum Mense Ian:
Die Hora 15 M.DC.XL V.

*Permissu*

MAGNIFICI D. RECTORIS.

CRACOVIÆ,
In Officina Martini Filipowski,



p.

# IN STEMMA.





*Anchora ſtat video, geminæ ſunt carbaſa pennæ,*
*Alæ ſumma tenent, ima profunda chalybs.*
*Fors quia velificat Doctrina per æthera Cynthi,*
*Anchora virtutis, fors quia fixa manet,*
*I felix Iaſon ad clari littora portus,*
*Nauis vbi quæris? Gloria nauis erit.*

*Caſimirus Markiewicz,*
*Stud: Rhet: Almæ Acad: Crac.*

*Perillustri & Adm: R̃ndo Domino,*

# D. CHRISTOPHORO SAPALIO S. T. D.

Canonico Cracou: Omnium Sanctor: Crac: & Kielcensi Decano, S. R. M. Secretario, &c. Domino & Mecænati amplissimo.

*VSus rectæ rationi consentaneus docet, omnes qui lucubrationes, siue ex Sacrario Theologico, siue ex abditis rerum naturalium in iudiciosum orchestræ literatæ producunt amphitheatrum, amplissimum iisdem quærere Patronum: sub cuius patrocinio singulari, & vnicâ tutelâ lucem publicam aspicere possint. Nec immeritò: nemo enim in orbe terrarum præsertim ex politioribus inuenitur, cui notum atque perspectum non sit, Viri sapientiâ & honoris amplitudine magni semper & vbique firmum esse patrocinium. Vnum Te Perillustris & Adm̃. R̃nde D. e numero Magnorum virorum agnosco, sub cuius nomine & patrocinio meæ*

 velita-

*velitationis prosper cursus, felixq; euentus est futurus. Tibi Pallas Hastam Sapiētiæ contulit: quia multiplici laureâ doctorali es condecoratus. Tibi Iuppiter Sceptra & Fasces dignitatis impertiuit quia in Perillustre Canonicorum Crac: Collegium es cooptatus. Tibi Princeps Orbis vrbs dedit nomen celeberrimum: quia heroicum ingenium tuum suspexit & est admirata. Tibi Suada facundiam & suauitatē sermonis miram propinauit: quia mellifluus verbi Diuini Præco diuersis in oris vnanimi omnium consensu es iudicatus & pronuntiatus. Dum itaq; Concursum cum causis secundis tueor diuinum, tenuitati & imbecillitati ingenij mei contra satis contorta dirigentiū in me tela, prudēter vt subuenias, & mihi riuulos fauoris reserare non dedigneris maiorem in modum oro. Viue, Valeq; incolumis plenus annorum, dignitatum, & omnis felicitatis, Ecclesiæ Dei, & Academiæ nostræ ornandæ, Virtutum, literarumq; cultoribus promouendis.*

Perillu: & Adm: R̄ndæ D.
deditissimus.
M. Iacobus Suski.
Collega Minor.

# QVÆSTIO

*Vtrum Causæ secundæ, ab intrinseco vi agendi ad producendos effectus omnes speciei suæ proprios adornatæ & instructæ, non magis præuium, quàm simultaneũ primæ Causæ concursum, necessariò requirant, necne?*

## CONCLVSIO PRIMA.

Causæ secundæ vim agendi ab intrinseco habent.

## *COROLLARIA.*

*I. Causa secunda est, quæ in essendo seu natura, & in agendo seu causando, dependet à prima causa, seu ab Authore naturæ.*

*II. A vero alienum minimè est illud axioma. Qui dat formam, dat & consequentia ad formam; vtpote cum sit, non tantùm principium essendi, verùm etiam & operandi.*

*III. Non ipsum compositum seu suppositum, cuius est operari, nec ipsa materia; sed sola forma, quæ*

 est

*est substantia, est principium ut quo principale operationis causæ secundæ.*

*IIII. Fatendum est, quòd forma substantialis non sit principium immediatum productiuum effectus; sed producit mediis suis potentiis ceu instrumentis à natura datis.*

*V. Summa perfectio à Deo communicata causæ secundæ est, quòd sit principium elicitiuum operationis propriæ, & non simplex ac merum instrumentum.*

*VI. Causæ secundæ vis agendi, cum sit finita, ad effectum producendum certam requirit distantiam, quæ actiuitatis Sphæra appellatur: ultra quam uis agendi causæ secundæ non se extendit.*

## CONCLVSIO SECVNDA.

Concursus præuius Causæ primæ ad præmouendam & prædeterminandam Causam secundam in Philosophia Peripatetica verè defenditur.

## *COROLLARIA.*

*I. Vera & Christiana Philosophia non agnoscit agens creatum esse primum principium per se mouens, ac se primò determinans ad actualiter operandum.*

*II.*

*II. Sicut omnes motus corporales reducuntur in motum corporis cælestis, tanquam in primum mouens corporale: ita omnes tam corporales motus, quám spirituales, reducuntur in primum mouens simpliciter, quod à Theologis Deus, à Philosophis prima Causa & Motor primus absolutè vocatur.*

*III. Concursus præuius Causæ primæ influentis in causas secundas necessarius est, vt causæ secundæ excitatæ & applicatæ ad agendum actualiter debitam operentur actionem.*

*IIII. Propositio illa Aristotelica. Causa secunda non agit, nisi mota à prima. intelligenda est de præuio concursu.*

*V. Firmiter tenendum est iuxta sanam Philosophiam, nullam causam secundam posse prodire in actum secundum sine præuia motione Physica Causæ primæ in causa secunda recepta.*

*VI. Simplex ac vnicus causæ primæ præuius concursus variè est denominabilis propter causas secundas, in quibus recipitur; vnde quandoque dicitur Necessarius, quandoque Contingens, quandoque Liber.*

CON-

## CONCLVSIO TERTIA.

Præter præuium concursum Causæ primæ, qui est per modum principii, concursus simultaneus, qui est per modum actionis, ad operationem cuiuslibet causæ secundæ absolutè & simpliciter requiritur.

## *COROLLARIA.*

*I. Agentia creata & finita eo differunt ab Increato & infinito, quód hoc agens sit Ens per essentiam: illa vero agentia sunt entia per participationem.*

*II. Causa prima non dicitur compars vel partialis effectus causæ secundæ; sed est vera totalis causa ipsius in suo ordine*

*III. Licet plures causæ totales diuersi ordinis vnum eundemq; numero effectum producant: tamen plures totales eiusdem generis & ordinis simul nequaquam id præstare possunt.*

*IIII. Simultaneus concursus causæ primæ non est propriè & formaliter in causam secundam; sed in ipsam operationem causæ secundæ.*

*V. Ex simultaneo Dei concursu defectibilitas*

*causæ*

*causæ secundæ non in Deum, sed in causam secundam tanquam in proximum principium & adæquatum defectus reducitur.*

*VI. Si per impossibile auferretur simultaneus Dei concursus, nullum ens finitum esset causa secunda in actu operans, licet habeat potentiam operandi & præuium Dei concursum.*

## CONCLVSIO QVARTA.

Non tantùm ad actiones necessarias, & contingentes, verùm etiam ad liberas tam præuius quàm simultaneus causæ primæ concursus simpliciter est necessarius.

## *COROLLARIA.*

*I. Dominium causæ primæ supra secundas omnes vtendi illis, quando & quomodo voluerit causa prima, Christiana Philosophia agnoscit & profitetur.*

*II. Libertas creata humana eiusmodi Dominio causæ primæ subiecta est, per quod non amittit libertatem, cùm dominium supremæ causæ in causam secundam sit secundum exigentiam voluntatis liberæ.*

*III. Habet quoquè voluntas humana dominium*

*sui*

*ſui actus, nihilominus non oportet, vt habeat ſimpliciter primum & abſolutum illius dominium, quod ſolius primæ cauſæ eſt proprium.*

*IIII. Dum dicitur voluntatem liberam tanquam cauſam ſecundam determinari à cauſa, prima, non tollitur determinatio voluntatis liberæ à ſe, vt à cauſa proxima ſuæ operationis.*

*V. Et ideo ſequitur voluntatem hominis habere ſe in potentia quo ad complementum actus primi, & quaſi paſsiuè: in ordine verò ad liberam operationem habere ſe liberè & actiuè.*

*VI. Denique concurſus vterque primæ cauſæ cum ſecunda eſt, ſecundum naturam cuiuſque cauſæ ſecundæ.*



# Sub felicibus auspicijs

Magnifici & Admodum Rdi D.

D. IACOBI VITELLII,

*Sacræ Theologiæ Doctoris ac Professoris,*

*Canonici Sancti Floriani, Almæ*

*Vniuersitatis Crac:*

RECTORIS VIGILANTISSIMI.